




Figure 1.1 The classification of *Homo* as written by Linnaeus in *Systema Naturae* in 1758.

From Sussman, *The Myth of Race* (Harvard Univ Press 2014)

652
Linnaeus
QK91
.C58
1758
v.1

CAROLI LINNÆI

EQUITIS DE STELLA POLARI,
ARCHIATRI REGII, MED. & BOTAN. PROFESS. UPSAL.;
ACAD. UPSAL. HOLMENS. PETROPOL. BEROL. IMPER.
LOND. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOC.

SYSTEMA
NATURÆ

PER

REGNA TRIA NATURÆ,

SECUNDUM

CLASSES, ORDINES,
GENERA, SPECIES,

CUM

CHARACTERIBUS, DIFFERENTIIS,
SYNONYMIS, LOCIS.

MISSOURI
BOTANICAL
GARDEN.

TOMUS I. *Sach. Ekstrand.*

EDITIO DECIMA, REFORMATA. *negat Wallberg.*

Cum Privilegio S:æ R:æ M:tis Sveciæ.

HOLMIÆ,

MAMMALIA PRIMATES. Homo.

I. PRIMATES.

*Dentes Primores superiores IV, paralleli.
Mammæ Pectorales II.*

I. HOMO nosce Te ipsum. (*)

Sapiens. I. H. diurnus; *varians cultura, loco.*

Ferus. tetrapus, mutus, hirsutus.

Juvenis Ursinus lithuanus. 1661.

Juvenis Lupinus hessensis. 1344.

Juvenis Ovinus hibernus. Tulp. obs. IV: 9.

Juvenis Hannoveranus.

Pueri 2 Pyrenaici. 1719.

Johannes Leodicensis.

America-2. rufus, cholericus, rectus.

*nus. Pilis nigris, rectis, crassis; Naribus patulis; Facie ephe-
litica, Mento subimberbi.*

Pertinax, hilaris, liber.

Pingit se lineis dædaleis rubris.

Regitur Consuetudine.

β al-

(*) NOSSE SE IPSUM gradus est primus sapientiæ, dictumque Solonis, quon-
dam scriptum litteris aureis supra Dianæ Templum. Mus. ADOLPH.
FRID. Prefat.

*Physiologie: Te contextum Nervis, intertextum Fibris, Machina tenella, sed
adolescente in perfectissimam, facultatibus instructam fere omnibus pluri-
busque, quam reliqua cuncta. Nudum in nuda humo, natali die, abjecit
natura ad vagitus statim & ploratum, manibus pedibusque devinciendum Ani-
mal cæteris imperaturum; cui scire nihil sine doctrina: non fari, non ingre-
di, non vesci, non aliud natura sponte. Plin. Vides itaque qualem vitam no-
bis rerum natura promisit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit.
Seneca.*

*Dietetice: Te sanitate & tranquillitate, si noveris, felicem: Moderatis conser-
vandam, Nimiis destruendam, Variatis afficiendam, Insuper frangendam,
Consuetis indurandam; polyphagum Culina instructissima, per errores gra-
tissima, igne vinoque horrenda. Parvo fames constat, magno fastidium.
Seneca.*

*Pathologie: Te tumidam usque dum crepueris bullam, piloque pendulam in
puncto fugientis temporis. Nihil enim homine imbecillius terra alit. Homer.
Nulli vita fragilior; nulli tot Morbi, tot Curæ, tot Pericula. Breve universum
utique ævi tempus: Pars æqua morti similis exigitur; nec reputantur Infantia
anni, qui sensu carent; nec Senectæ in pœnam vivaces: hebescent Sensus, tor-
pent Membra, præmoriuntur Visus, Auditus, Incessus, Dentes, Ciborum in-
strumenta. Plin. Sic magna pars mortis iam præterit, quidquid restat, non*

MAMMALIA PRIMATES. Homo.

21

Euro- β . albus, sanguineus, torosus.
pæus. *Pilis* flavescentibus prolixis. *Oculis* cæruleis.
Levis, acutissimus, inventor.
Tegitur Vestimentis arctis.
Regitur Ritibus.

Asiati- γ . luridus, melancholicus, rigidus.
cus. *Pilis* nigricantibus. *Oculis* fuscis.
Severus, fastuosus, avarus.
Tegitur Indumentis laxis.
Regitur Opinionibus.

B 3

J. ni-

Naturaliter : Te audacis naturæ miraculum, Animalium Principem, cujus causa cuncta genuit natura, esse animal flens, ridens, melodum, loquens, docile, judicans, admirans, sapientissimum; sed fragile, nudum, suapte natura inerme, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, alienæ opis indigens, anxie mentis sollicitæque tutelæ, precarii spiritus, pertinacis spei, querulæ vitæ, tardæ sapientiæ. Temporis annihilati emortui contemptorem, præsentis vividi dilapidatorem, futuri dubii æstimatorem in vita volucris, pretiosissima, irrevocabili; sic optima quæque dies miseris mortalibus ævi prima fugit; alium ad quotidianum opus laboriosa Egestas vocat; alium Luxus incarcerat, altilemque suffocat; alium Ambitio nunquam quiescit sollicitat; alius Divitiis, quas optaverat, metuit, & voto laborat suo; alium Solitudo, alium semper vestibulum obsidens turba. Hic se habere dolet Liberos, hic se perdidisse; Lacrymæ nobis deerunt antequam causæ dolendi. Sed quousque nos malos nostra mala rapuerunt circumferre pericula, rursus in ignotos, iratos sine injuria, ferarum more occidere quem non oderimus, secundos optare ventos, quorum felicitas est ad bella perferre; parum videlicet ad mortes nostras terra late patet. *Senec.* Cætera animantia congregari contra dissimilia, ac Homini plurima ex homine mala. *Plin.*

Politice : Te recti loco tenere errorem publicum factum, qui te vix enixum consuetudinis larva induit, nutrit, educat, alit, regit, secundum quam honestus, fortis, sapiens, moratus, pius existimaris; Cum gubernatus Opinionem vivas ad Consuetudinem, nec ad Rationem. Te, inter perituros constitutum, cum nulli contigit impune nasci, beneficii loco petere, ut ultimus cervicem præbeas, dum interim, dulci fortuna ebrius, colligendo in crastinum Lapillos fortunæ certas, verbis in furorem ageris, aliter theoreticæ pios odio persequeris, quantosque tumultus excitas, non ut servias, sed cui; nugis irrevocabile tempus consumis; immortalia æternaque animo volutas, de feris nepotibus pronepotibusque disponis, novas spes oblitus conditionis Tuæ ponis, cum interea longa conantem mors opprimit, at in agone oculos aperiens ($\alpha \nu \theta \rho \omega \pi \omicron \varsigma$) somnium primo observas; Sic vivimus ut immortales & morimur ut mortales. *Senec.*

MAMMALIA PRIMATES. Homo.

Afer. ♂. niger, phlegmaticus, laxus.
Pilis atris, contortuplicatis. *Cute* holosericea. *Naso* si-
 mo. *Labiis* tumidis. *Feminis* sinus pudoris; *Mammæ*
 lactantes prolixæ.
Vafer, segnis, negligens.
Ungit se pingui.
Regitur Arbitrio.

Monstro- e. solo (a) arte (b, c).

sus. a. *Alpini* parvi, agiles, timidi.

Patagonici magni, segnes.

b. *Monorchides* ut minus fertiles: *Hottentotti*.

Junceæ puellæ abdomine attenuato: *Europææ*.

c. *Macrocephali* capite conico: *Chinenses*.

Plagiocephali capite antice compresso: *Canadenses*.

Habitat inter *Tropicos* sponte gratisque; per reliquam
Telluris totam continentem coacte.

CORPUS erectum, nudum, *Pilis* raris remotissimis ad-
 spersum, subsexpedale.

CAPUT obovatum: *Pileus* pilosus: *Sincipite* obtuso,
Vertice obtusissimo, *Occipite* gibbofo.

Facies nuda: *Frons* planiuscula, quadrata, *Temporibus*
 compressa, angulis sinu intra *Pileum* adscendens. *Supercilia*
 prominula pilis extrorsum imbricatis, inter-
 stincta. *Glabella* planiuscula. *Palpebra superior* mobilis,
inferior quieta; utraque *Ciliis* exstantibus subrecurvatis
 pectinata. *Oculi* rotundi: *Pupilla* orbiculata. *Genæ*
 gibbæ, molliusculæ, coloratæ. *Malæ* compressiusculæ,
 uti *Buccæ* laxiores. *Nasus* prominens, labio brevior,
 compressus, apice altior gibbosiorque: *Naribus* ovalibus,
 intus

Lustus, *Lucretia*, *Ambitio*, *Avaritia*, *Vivendique* cupido; curat atque etiam
 post se de futuro. *Plin.*

Theologice: Te ultimum finem creationis;

In *Telluris* globum, omnipotentis magisterium, introductum; ratione sa-
 piente, secundum sensus concludente, mundi contemplatorem; ut ex ope-
 re agnosceres Creatorem omnipotentem, omniscium, immensum & sempit-
 ernum DEUM.

(Cætera revelata a Theologis explicanda.)

Duo namque sunt quæ in cognitionem DEI ducunt, *Creatio* & *Scriptura*,
Augustinus.

DEUS itaque *Natura* cognoscendus, dein *Doctrina* recognoscendus.

MAMMALIA PRIMATES. Homo.

23

intus hirtis, margine crassiusculo. *Labium superius* subperpendicularare, *Lacuna* exaratum; *Labium inferius* erectiusculum, magis gibbum. *Mentum* prominens, obtusum, gibbosum. *Aures* laterales: *Auricula* rotundatolunata, appressiusculæ, nudæ, supra margine fornicatæ; infra gibbosæ, molles.

TRUNCUS constans Collo, Thorace, Dorso, Abdomine.

Collum teretiusculum, capite brevius; *Cervicis Nucha* concava; *Gula* supra concava, medio subtus gibba.

Thorax antice posticeque depressiusculus. *Pectus* planiusculum, Jugulo excavato, *Axillis* concavis barbatis, *Scrobiculo* planiore. *Mammæ* duæ, pectorales, distantes, gibbæ, rotundatæ: *Papilla* cylindrica, obtusa, rugosa.

Dorsum Tergo planiusculo, *Humeris* exstantibus, *Interscapulio* depresso.

Abdomen gibbum, laxum: *Umbilico* excavato, *Epigastrio* planiore, *Hypogastrio* gibbosiore, *Hypochondriis* rotundatis, *Inguinibus* planiusculo-concavis. *Pubis* regio barbata. *Genitalia* exserta: *Pene* cylindrico, *Scroto* subrotundo, rugoso cute laxa, *sutura* longitudinali per *Perinaeum* excurrente; f. *Vulva* gibba, compressiuscula. *Anus* retractus.

ARTUS ex *Manibus* loco pedum anteriorum & *Pedibus* posterioribus.

Manuum Armi divaricati, crassiusculi, teretes, longitudine pedum. *Cubitus* obtuso-prominulus. *Lacertæ* crassitie armorum, teretes, introrsum planiores. *Palmae* rotundatæ, dilatatæ, planæ, extus convexæ; *Vola* concava; *Digiti* V: *Pollex* remotus, brevior, crassior. *Digiti* 2, 3, 4, 5 approximati, horum 5 minor reliquis, dein 2, 4, sed 3 paulo longior. *Ungues* omnibus rotundati, plano-convexi, *lunula* pallida.

Pedum Femora approximata, *Lumbis* musculosis, *Natibus* gibbis, carnosus, *Genubus* antrorsum versis, obtusissimis, subtus concavis. *Crura* longitudine femorum, postice musculofo-ventricosa, inferne angustiora, antice macra. *Calcanei Talis* insistentes, prominuli, gibbi: *Malleolis* lateralibus, utrinque oppositis, hemisphæricis, duriusculis. *Plantæ* oblongæ, supra convexiusculæ, subtus planæ, transverse concavæ. *Digiti* V: omnes incurvi, subtus gibbi, approximati. *Pollex* crassior, brevior; 2, 3 subæquales. 4, 5 decrescentes: ultimo minimo. *Ungues*

MAMMALIA PRIMATES. Homo.

Differt itaque a reliquis Corpore erecto nudo, at piloso Capite, Superciliis, Ciliisque, tandem Pube, Axillis, Maribusque Mento. Feminis Nymphæ & Clitoris; Mammæ 2 pectorales. Caput Cerebro omnium maximo; Uvula; Facies abdomini parallela, nuda; Naso prominente, compresso, brevior; Mento prominente. Cauda nulla. Pedes Talis incedentes.

Troglo- 2. H. nocturnus. (*)

dytes.

Homo sylvestris Orang Outang. *Bont. jav. 84. t. 84. Kakurlacko. Kjæp. itin. c. 86. Dalin. orat. 5.*

Habitat in Æthiopiæ conterminis (Plin.), in Java, Amboinæ, Ternatæ speluncis.

Corpus album, incessu erectum, nostro dimidio minus. Pili albi, contortuplicati. Oculi orbiculati: iride pupillaque aurea. Palpebræ antice incumbentes cum Membrana niçtitante. Visus lateralis, nocturnus. Aetas XXV annorum. Die cæcutit, latet; Noctu videt, exit, furatur. Loquitur sibilo; Cogitat, credit sui causa factam tellurem, se aliquando iterum fore imperantem, si fides peregrinatoribus,

2. SI-

(*) Genus Troglodytæ ab Homine distinctum, adhibita quamvis omni attentione, obtinere non potui, nisi assumerem notam lubricam, in aliis generibus non constantem. Nec Dentes laniarii, minime a reliquis remoti; nec Nymphæ Caffræ, quibus carent Simiæ, hunc ad simias reducere admittebant. Inquirant autoptæ in vivo, qua ratione, modo notæ aliquæ existant, ab hominis Genere separari queat, nam inter simias versantem oportet esse simiam. *Apollodor.*

Speciem Troglodytæ ab Homine sapiente distinctissimam, nec nostri generis illam nec sanguinis esse, statura quavis simillimam, dubium non est, ne itaque varietatem credas, quam vel sola Membrana niçtitans absolute negat.

Afri Pilos contortuplicatos, quamvis albos, in hoc miratus sum, collatis imprimis Varietatum causis in Plantis, in Pullo Gallinaceo, nec tamen quidquam de Mauris albis ex nigris statui.

Præadamitas nec dixi hos Troglodytas Plinii, quamvis nos ultimum finis Creationis opus.